


Fa
1951



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

DISPUTATIO LOGICA,
De
FORMA
NATURALI
SYLLOGISMI,

Quam,
 Favente Divini Numinis Gratiâ,

Permissu
 Nobilissimæ Facultatis Philosophicæ,
 In hac Alma Viadrina,
 IN AUDITORIO PHILOSOPHICO MAJORI,
Eruditorum disquisitioni submittit

PRÆSES
ARNOLDUS WESENFELD,
 BREMENSIS,
 PHILOSOPHIÆ MAGISTER,
 RESPONDENTE

FRIDERICO CHRISTOPH. STANNIO,
 Eadebornâ Anhaltinô,
 THEOLOGIÆ & PHILOPH. STUDIOSO,
Ad d. 24. Octobr. An. MDCXCI.


 Francofurti ad Viadrum,
 Typis JOHANNIS COEPELII, Acad. Typogr.



DISPUTATIO LOGICA.

FORMA
NATURALI
SYLLOGISMI.

Ex auctoritate Divini Nominis Gratia,

Nobilissima Facultatis Philosophicae

In hac Alma Vindoburgensi,

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO MAJORE,

Exhibitionem dissertationis publicae

P R E S T A

ARNOLDUS WESSENFELD,

BREMENSIS,

PHILOSOPHIAE MAGISTER,


RESPONDENS

FRIDERICO CHRISTOPHO STANNIO,

Badeborni Anabaino,

THEOLOGICAE & PHILOSOPHICAE STUDIOSO,

Domini & Regni Medici



Francorum ad Vindoburgam

Typis JOHANNIS COPPELLI, Acad. Typogr.



Illustrissimo atq; Generosissimo Domino,

**DN. PAULO
DE FUCHS,**

Sereniss. atq; Potentissimi
ELECTOR. BRANDENBURG.
MINISTRO STATUS
INTIMO,

RERUM FEUDALIUM atqve ECCLE-
SIATICARUM DIRECTORI
EMINENTISSIMO,

HEREDITARIO DOMINO
in Malchow & Heimersdorff/

DOMINO ac MÆCENATI SUO
BENIGNISSIMO.



ILLUSTRISSIMÆ atq; GENERO-
SISSIMÆ DOMINE,
MÆCENAS BENIGNISSIMÆ.



Voties singularis il-
lius Tuæ, tot documentis
mihi spectatæ Benevolentia mem-
oriam cum mente mea reco-
lo, sincera quadam ac ingenua
animi voluptate perfundi me
& quasi abripi sentio. Recurrit
enimi mihi recordatio illorum temporum, cum pri-
ma pietatis ac observantiæ meæ documenta, à me
homine ignoto, Tibi omni laudum genere florentis-
simo Viro consecrata, tanta favoris ac Benignitatis te-
stificatione exciperes, Musisqve meis animos nobilis-
simumqve calcar subderes, & quasi signum quoddam
ad bene de studiis meis sperandum sustolleres. Ac-
cessit aliud benevoli Tui in me animi indicium certis-
simum,

simum, quod me *Generosissimi Filii Tui* studiis præesse
benignissimè juberis, mihiqve eum formandum fin-
gendumq; totum traderes. Quod Benignitatis ac sin-
gularis de me conceptæ fiduciæ meritum tantò illu-
strius semper judicavi, quod de me non nisi ex literis,
& fortè famâ cognoveras, cùm simul cum unico Fi-
lio Tuo, Magni illius Nominis & Gloriæ Tuæ in po-
steris etiam perennaturæ curam certè haud postre-
mam mihi traderes. Piâ quadam observantiâ sedu-
laqve curâ memorem tantorum meritorum animum
TIBI, MÆCENAS MAXIME approbare conatus
sum hætenus; nunc verò cùm res meæ ita exigere,
viderentur, ut documentis quibusdam publicis, collo-
catum in Philosophicis artibus studium comprobarem,
impietatis sanè gravissimæ reus forem, si primos hos
publicos meos in Philosophicis labores TIBI, MÆ-
CENAS MAXIME, haud consecrarem, qui vitam il-
lis animamqve dedisti: dum jam olim animum meum
meum ad humaniones artes mansuetioresqve has Mu-
sas, plenis Humanitate & Benevolentia literis, excitare
atqve incendere dignatus es. Suscipies igitur cum
specimine hoc Logico, *de Naturali Forma Syllogismi* si-
mul mentem Tibi devotam, atqve maximè naturali
syllogizandi modo ita colligentem, se studiaqve sua,
omnia Tibi debere; adeoque si quid vel in hac, vel in
ceteris, quas adjeci Dissertationibus offenderis, quod
Tibi haud omninò displiceat, id gravissimis adhorta-
tionibus Tuis attribues universum; quicquid ve-
rò vel parùm exasciatum, vel ab arte minùs politum
fuerit, ingenii mei tenuitati adscribes. Illud verò TI-
BI polliceor ac spondeo, me, si, quod spero certissimeq;
confido, primos hos publicos conatus à TE, MÆCE-
NAS

NAS MAXIME, pro illo prolixo Tuo in me affectu, ac-
curatoque & subaecto in humanioribus artibus ju-
dicio, approbatum iri deprehenderim, excitaturum
porro ingenium industriamque meam, quò aliquid Te
MÆCENATE dignum audeant. Interim unum me-
um cetera omnia complexum votum est, Romanum
illud: DEUS Te fervet; cum ab una salute Tua &
SERENISSIMUS PATRIÆ PARENS saluberrima
porro consilia, & subjectæ Brandenburgico Sceptro
terræ perenne auxilium, & orbis literatus, atque præ-
cipue Viadrina nostra, Benignissimum Mæcenatem,
& Illustris Familia grande columen, & ingenui omnes
bonarum artium cultores certissimum præsidium sibi
polliceantur. Faxit Summum illud Numen, ut in *Ge-
nerosissimo Filio*, virtutis & eruditionis stadium jam tum
acriter premente, tanti Nominis & Gloriæ hæreditas
ad seros etiam posteros propagetur. Ego verò usque
adnitar, ut porro probem, quòd sim,

TIBI

**ILLUSTRIS DOMINE,
MÆCENAS BENIGNISIME,**

Devotus

**Arnoldus Wefenfeld,
Philosoph. Mag.**



SECTIO I.
PRÆLIMINARIS.

§. I.
Ars Rationis Logica est, pondus scilicet re-
ducens omne scibile ad rationis æquilibrium, ut
ingeniosissimè primus Philosophus, primusque
Nobilisf. Facult. Philos. in Celeberr. hac Universf. Decanus,
Job. Lindholtz de Münchberg in expositione præclarisf. Tr.
P. Hispani in Proæmio ait; ubi & virum æqua lance omnia
ponderantem, tanquam Logices Symbolum, exhibet. Ea-
dem eminentissimè rationalis dicitur Versori in Quæst.
super V. & N. Log. Arist. P. 11. f. 28. quod Logica non solum
à ratione inventa sit, vel quatenus hoc est commune omni-
bus rebus, sed eò quod est circa actum rationis, quem diri-
git: imò dicitur ars artium, quia dirigit actum rationis, à
quo omnes artes dependent. Idem indigitant recentiores
Philosophi, cum Artem cogitandi Logicam dixere, quo
nomine Logicam suam autor anonymus non ita pridem
insignivit, ante quem artem rectè cogitandi, & modum re-
cta ratione nostra utendi Logicam dixerat Anton. le Grand,
in Instit. Philos. P. 1. Art. 1. Ita tamen, ut cogitationis no-
mine non simplices duntaxat ideas, sed & ipsa judicia, ac
ipsos etiam discursus intelligeret, quemadmodum cit. loc.
indicat, quibus & dispositionem seu methodū cogitationis

4 *Disputatio Logica*
nomine adjungit *Autor Anon. de Arte Cogit. statim in init.*
Et certè, si ipsam Logices naturam, causamqve ejus in-
ventæ attendimus, eò producta videtur, ut cogitationes
conceptusq; nostros in cognitione rerum dirigeret. *Ex-*
ternusq; illius finis hic est, quem Grande illud Academia
nostra decus, Incomparabilis Brunnemannus in Encbrid.
Log. in Proëm. §. 14. assignat, Veritas cognitionis, qua, ut
ibidem ait, est conformitas intellectiōnis cum re intellecta.
Unde per ceteras artes omnes extenditur, quatenus con-
ceptus debitè apprehendere, eos vel combinare, vel dis-
jungere, unum conceptum ex altero elicere, elicitosque
rectè disponere edocet, ita ne usquam à veritate aber-
retur. De ejus vel necessitate, vel utilitate, ad ceteras ar-
tes variè disceptantes Scholasticos, v. ap. *Anton. Rubium*
Rodensem in Logica Mexicana in Quest. Proëmial. Q. I.
et in fustoribus ejus Commentariis ibid.

§ II.

Cùm igitur reflectere super cogitationes conce-
ptusque suos tradat Logica, rationisque usum, à quo
homines appellamur, inculcet, certè hæc Logicæ digni-
tas, vel maximè in Syllogismo conspicua est, qui *finis*
Logicæ internus, inadæquatus licèt, principalis tamen est,
notante Brunnem. in Encbrid. Log. Proëm. §. 11. Et praci-
puus scopus Dialecticæ Disputationis, quia Dialecticæ for-
mat perfectum Argumentatorem, sicut Rhetoricæ Oratorem.
v. P. Hurtad. de Mendoza T. 1. Diss. Log. X. S. IX. §. 38. Atq;
difficilior quidem, perfectissima tamen omnium mentis
operatio est. Cùm enim in simplici apprehensione uni
ideæ tantùm intenta mens sit, & in enunciatione circa
conjunctionem, vel disjunctionem duarum tantùm idea-
rum

5

De Forma Naturali Syllogismi.

rum occupetur, in Argumentatione plurium idearum jam conjunctarum connexio inter se, & quomodo unus conceptus ex altero fluat, indigitatur: quod quò difficilius, eò præclarius, & naturæ hominis rationali convenientius est. Unde eum inter præclarissima *sciendi instrumenta* jure merito collocat *Franc. Abra de Raconis in Summa Philos. P. 1. in App. Gen. S. I. Q. II. quæ cit. loc. Q. III. definit, quod instrumentum sciendi sit Actio mentis, quæ à notioribus nos promovet ad obscuriora certò & evidenter cognoscenda.*

§. III.

Et habent quidem hic suam laudem Syllogismi sub totidem rationibus apud Oratores occultati, vel aliquæ sui parte truncati, vel plurium inductione completi, vel ab utroque latere ferientes, vel sub conditionis tegumento, vi tamen & virtute Syllogismi perfecti concludentes, quod ultimum eleganter exsequitur *Isendorn. in Cursu Log. System. & Agonist. L. III. c. II. Q. 4.* de quibus passim Logici. Præcellit tamen inter omnes, & plerosque ceterorum completitur syllogismus, quem perfectum Logici vocant, majori, minori & conclusione constans, *conf. Roder. de Ariaga Disp. III. in summulas S. III.* quam perfectionem ad Syllogismos primæ figuræ inter alios restringit. *Franc. Bona Spei, Comment. in Univ. Aristot. Philos. in Preparam. Log. Disp. VII. Dub. II. Resolut. I. n. 41. & 42.* eò quod reductione non egeant, ut earum connexio innotescat. Et hujus Syllogismi perfecti, primo sensu sic appellati, naturalem formam indagari propositum nunc nobis est.

§. IV.

Formæ nomen communissimo sensu accipimus, pro
eo,

eo, quod esse rei dat. Cùm autem *Syllogismus Compositum artificiale* sit, *arte dialectica ab intellectu fabricatum*, ut rectissimè monet jam cit. *Ant. Rub. Rodens. in Log. Mexic. Maj. P. II. in Lib. I. Poster. in Procem. p. 250.* duplicem ei, *formam naturalem & artificialem* attribuimus, quarum illa cuivis Syllogismo naturâ conveniat, hæc pro varia dispositione medii termini, vel adjunctarum particularum variet. *Conradus Bergius, Philosophus & Theologus acutissimus, atq; de Academia nostra meritissimus, in Artificio Lullio Rameo P. III. S. II. c. II.* eam *externam & internam* Syllogismi formam, sensu eodem appellare maluit. Nobis naturalis appellatio magis placuit, quòd natura ipsa hæc ita inter se jungi deberi declaret, & altera forma, ex varia dispositione medii termini & particularum resultans, *artificio Logico* vel *quæsitâ*, vel certè distincta sit. Utramque conjunxit in descriptione formæ argumentationis *Job. ab Hoeckelshoven in Syst. Log. versu heroico posito, & soluta oratione exposito*, cùm eam definiret, quod sit *Actus unitionis partis confirmantis & confirmatae, per legitimam earum dispositionem & connexionem.* Et formam quidem Syllogismi artificialem in legitima dispositione trium terminorum majoris, minoris & medii, in tribus propositionibus, majore, minore & conclusione consistentem passim notant Logici. Naturalem pauci attigere, quos inter citati autores, nonnulli digitum huc quidem intendere, ut in sequentibus videbimus, sed generalius tantùm, & quasi aliud agentes, quæ nos Syllogismo perfecto in specie applicatum nunc ibimus, ejusque naturalem formam eruere pro virili conabimur.

SECT. II.
CONSTITUTIVA.

§. I.

NExum & unionem propositionum syllogismi inter se adesse debere vox ipsa arguit quodammodo, quæ est *συνλογισμῶς* Græcorum, quod notat colligere, metaphora ab Arithmetiis desumptâ, plurium numerorum summam colligentibus: *conf. Derodon in Oper. Philos. in Logica Restitut. P. V. c. 11. Artic. 1. n. 1.* Sicut verò inter summam, & numeros in summam redactos æqualitas quædam & mutuus existere nexus debet; ita & in syllogismo, si bonus est, mutuam connexionem rationum inter propositiones, seu præmissas, & conclusionem intercedere oportet, ita ut unum ex altero fluat, in quo formam naturalem syllogismi reponimus, quemadmodum infra accuratius patebit. Quò & pertinet generalior syllogismorum appellatio, cum eos *discursus* passim appellant. Hæc enim vox localem motum propriè dicit, in quo terminum à quo, medium, & terminum ad quem attendere licet, qualem motum rationis in argumentando similiter deprehendere est; ubi mens à propositionibus notioribus ad ignotiorem probandam progreditur, qui maximè naturalis inferendi ordo est, ut monet *Zabarella Apologia lib. 1. p. 24.* Imò & certiores esse debent præmissæ propositiones, *aliàs enim alteri certitudinem conferre non possent. Hæckelsboven. in Syst. Log. l. IV. c. 1.* Nihil enim alteri dare potest, quod ipsum non habet. Atque hic motus non tam inter tres terminos syllogismi versatur, ut putat *Magnus Hund. in Compend. Log. seu Parvulo Antiquorum Tr. III. f. 115.* quàm inter

inter

inter tres ejus propositiones, ut rectius judicat *Franc. Bona Spei Comment. in Univ. Arist. Philof. in Praparam. log. Disp. VII. Dub. 1. Resolut. 1. n. 388.* Major enim est quasi terminus à quo, qui antè præsupponitur, minor medium, quo sine majoris vis conclusionem haud afficeret, & conclusio terminus ad quem, seu illud ob quod probatio motusque ille rationis susceptus est: ita in hoc syllogismo;

Omnis virtus est laudanda,

Pietas est virtus,

E. Pietas est laudanda.

Major propositio, *Omnis virtus est laudanda*, præsupponitur tanquam per se nota, adeoque est quasi terminus certus & definitus, à quo procedit argumentatio. Ex qua tamen sola nondum colligi potest conclusio, Ergo *Pietas est laudanda*, nisi interveniret hæc media propositio, *pietas est virtus*: tum enim facile perspicitur, cum *Omnia virtus laudanda sit, Pietas autem virtus sit, Pietatem etiam laudandam esse.*

§. II.

Atque hi discursus ex genere eorum sunt, quos *causales* vocat *Franc. Bona Spei cit. loc. n. 394.* cum posterior semper cum dependentia à priori infertur. Præmissæ enim causæ, sunt quodammodo conclusionis, & fundamentum, ex quo illa elicitur, *conf. inter alios Mendozam. Vol. I. Disp. Log. X. S. XI. n. 49.* quæ causalitas & dependentia voce illativa *Ergo* denotatur, ut *Idem Sect. IX. n. 38.* notat. Imò datur certa quædam relatio inter præmissas & conclusionem, ob quam qui his assentitur, non possit non illi etiam assentiri, quæ quousque ad assensum necessitet, *conf. Carol. Franc. de Abra de Raconis. P. II. Log. Disp. I. Propos.*

De Forma Naturali Syllogismi.

9

pos. II. Franc. Murcia in Cursu Philos. Disp. I. super lib. Arist. de Poster. Resolut. Qu. VI. Mendozam. Disp. Philos. Tom. III. Disp. VIII. de Anima S. VIII. Complutenses Disp. XVII. Quast. IV. Et hæc ratio virtute medii termini procedit, unde rectè iidem Complut. L. III. c. III. dicunt, argumentationem esse ex vi unionis factæ in præmissis. Et inclyta Facultas Artium florentissimi Gymnasii Francophordiani, ut appellant, in Cursu Philos. A. 1509. edito, in Quast. primis priorum Arist. f. 31. asserit, medium terminum conjungere positivè, vel privativè extremitates in conclusione, propter unionem illarum in præmissis. Unde Jordanus Brun. Nol. in progressu Log. Venat. conjunctus Arti Magnæ Lulli Membr. IV. optimè colligit: Nullum necessarium fore Syllogismum, nisi medium tale sumtum fuerit, quale ad utrumq. extremorum attributione quadam referatur. Atque inde caussa patet, cur in syllogismo non possint esse plures, quàm tres termini, Quia causa, ob quam in Conclusionem prædicatum conveniat & insit subjecto est, quod subjectum & prædicatum illud prius in uno tertio condenerint, adeoq. colligata teneantur. Quod si quartum addas terminum nullam connexionem evinces; quemadmodum eleganter hanc quæstionem explicat Isendorn. in Cursu Log. System. & Agonist. L. III. c. I. Q. II. Imò medius terminus est tanquam norma inter duo extrema; jam sicut æqualitas duarum magnitudinum, unicâ tantum normâ, quæ applicatur, non verò diversis cognosci & mensurari potest, idcirco in syllogistica dispositione, ut terminos non tribus pauciores, sic nec tribus plures esse oportet, ut rectissimè monet Logica Bremens. Willii L. II. c. XVI. n. 4. Ex eodem fundamento fluit, cur medius terminus conclusionem ingredi nequeat. Postquam enim

B

normæ

normæ vicem peregit in præmissis, & utrumque terminum, majorem & minorem secum conferendo, sibi convenire deprehendit, jam rectè dimensuratas & æqualitatis suæ conscias ad conclusionem remittit, ut quæ in uno tertio convenire se deprehenderint, jam etiam mediantur, anne & inter se conveniant. Recedit autem tum ipse medius terminus, & conclusionem non ingreditur, quia foris tantùm ad eam probandam, & dimensurandam illam æqualitatem fuerat assumptus *conf. Keckerm. in Syst. Systematum. Syst. Log. L. III. c. V. n. 3. item Isendorn. loc. cit. quest. IV. & Bachmannum Exercit. Philos. Centur. Sec. 2. v. XXIV.*

§. III.

Ipse etiam Aristoteles in definitione Syllogismi unionem hanc innuit, cum eum definit, quod sit *Oratio quæ quibusdam positis aliud quiddam ab his quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eò quod hæc sunt.* Nam suppositis præmissis necessariò, eò quod hæc sunt, eò quòd hæc ita se habent, conclusio etiam procedere debet, dum illa, quæ ad normam medii termini dimensurata cum illo convenere, inter se jam disconvenire non possunt. Huc pertinet, quod præmissæ *Antecedentis*, conclusio verò *Consequentis* nomine apud autores veniat *conf. Francisc. Eustachium à S. Paulo in summa Philos. Quadripart P. III. Dial. Tr. I. 2. II. & Anton. le Grand. Instit. Philos. P. I. de Logica, Part. III. Art. XV. n. 2.* quos præmissas *protaseos* nomine designat *Hæckelshoven. in Syst. Log. L. IV. c. II.* Ipsumque præmissarum nomen, ut bene notat *Autor Artis Cogitandi P. III. c. I.* ex eo dictum, quod saltem in intellectu præmittantur. Unde & hæc prius assumi & excuti debent, quam de conclusio-

elusione quicquam statuatur. Hoc verò tò *Antecedere*, *præmitti*, rationali modo intelligendum est, sensuque, quo communiter hæc capiuntur, ut nexum quendam rationum dicant inter ea quæ antecedunt & consequuntur, inter ea quæ præmittuntur & postponuntur. Qui si absit, inutilis & inanis collectio est, ut si dixerim, *Baculus stat in angulo*, Ergò *cras pluet*. Quia nulla est ratio, quare uno posito, alterum etiam ponatur.

§. IV.

Quæ diximus hactenus eò pertinere, ut liqueret, Logicos & superiorum temporum, & nostri ævi nexum propositionum, tum in genere in omni argumentatione, tum in specie in Syllogismo perfecto respexisse præcipuè. Jam porrò explicandum nobis tradendumque est, quomodo in eo naturalis Syllogismi perfecti forma versetur. Hanc autem uno verbo reponimus in justa connexionem rationis cum subjecto & prædicato in præmissis, & quæ hinc resultat, connexionem justam subjecti & prædicati inter sese in conclusione, quæ si adsit, quæcunque demum forma artificialis adsciscatur, tamen conclusio connexionem suam cum præmissis luculentissimè semper ostendet, quemadmodum infra *Seç. III.* in exemplis clariùs patebit. *Conradus Bergius in Artif. Lullio-Rameo P. III. S. II. c. II.* naturalem hanc Syllogismi formam *consequentiam* appellat, eamque definit esse *rationalem dependentiam conclusi ab argumento, quo posito vel negato argumento, conclusum etiam ponendum vel negandum est.* *Consequentiam* hanc *materialem* nonnulli dixere, quod ex nexu materiæ inter se promanet. Et sanè statim ac mens illam connexionem rationis seu medii termini cum subjecto & prædicato in præmissis depre-

hendit, fertur ad assentiendum conclusioni, atque ea ad hanc normam exacta, vel convenire, vel dissentire jam apertè pronunciat; *conf.* quæ diximus §. 2. *hujus Sect.* Ubi enim hæc ex se invicem dependere & liquidò sequi videt, assensum denegare amplius non potest, e. gr. si dicam

Omnia à Deo tradita sunt vera

S. Scriptura est à Deo tradita

E. Scriptura est vera.

In animo ipsi est probare, *S. Scripturam veram esse*, assumit igitur medium terminum, ceu normam quandam, ad quam veritatem hujus propositionis examinet, sc. *quia est à Deo tradita*. Hanc rationem conjungit primò cum termino majori, cogitando, quod *Omnia quæ à Deo*, ceu Ente perfectissimo, quod per bonitatem naturæ fallere neminem nec vult, nec potest, *tradita sunt*, necessariò *vera sint*. Hinc jam illam rationem cum termino minori combinat, & perpendit, sibi tamen constare, *S. Scripturam à Deo traditam esse*, unde jam certissimè infert, *S. Scripturam*, quæ inter illa omnia à Deo tradita reponenda omninò sit etiam *veram esse*. Atque hinc est, quod idem Bergius *cit. loc.* affirmat, quod *consequentia talis & tam firma sit, quàm firma & certa est cohesio, seu conjunctio, vel separatio rerum extra mentem*. Si igitur illa cohesio rerum necessaria sit, Demonstrativum, si probabilis tantum, Dialecticum, si merè apparens, revera autem falsa sit, Sophisticum Syllogismum gignit. *quod Nobiliss. Facult. Philos. membra in Cursu Philos. Francof. p. 31.* jam hac ratione explicuere. Fundamentum hujus est, quia medius terminus seu ratio non potest nobiliorem effectum producere, & subjectum atque prædicatum in conclusione

arctius

arctius inter se conjungere, quàm ea inter se conjuncta deprehenderat, cum in præmissis ad sese ceu normam exigenterentur. Unde siue necessaria, siue probabilis, siue apparens tantum connexio secum fuerat in præmissis, eodem modo illas dimensuratas ad conclusionem remittit. His ita tum in genere de argumentatione, tum in specie de Syllogismi perfecti forma naturali expositis, pergendum quidem nunc foret, atque demonstrandum, quousque idem in imperfectioribus, ut vocant, Syllogismis locum habeat, sed hæc in aliam occasionem rejicere maluimus, adeoque ad consecutaria hujus doctrinæ pergimus.

SECT. III.

CONSECUTIVA.

§. I.

JAm igitur ea, quæ tradidimus hactenus transferenda ad usum sunt, ostendendumque, quam illa in Logicis utilitatem præstent, Hanc generatim indigitat jam aliquoties citatus Höckelsboven in *Syst. Log. l. VI. c. III. scil. (I.)* *Quod materia vitio aliquo laborans, per quod sufficientem vim probandi* (adeoque justam connexionem mediæ termini seu rationis cum subjecto & prædicato, in qua re formam naturalem Syllogismi collocavimus) *non habet, nunquam potest ita disponi, ut formam bonam habeat, ex qua emanet consequentia, qualitas formalis argumentationis, que est vis, qua ex parte probante necessario sequitur pars probata, effectum nempe ex sua sufficienti causa.* Nam Syllogismus dicitur aliàs sæpe bonus in forma, sed malus in materia, item malus in forma, & bonus in materia, sed unicè

ex

ex præsentia vel absentia formæ naturalis. Si enim forma naturalis desit, nihil juvabit, quacunqve forma externa Syllogismus incrustetur. E contrario, si etiam externa forma sua careat, modò rata sit propositionum cum conclusione connexio, veri rerumqve amantem id minimè morabitur. (II.) Qvod idem in elencho Sophistico usu veniat *v. loc. cit.* ubi non tantùm in materia, quemadmodum creditum est hæctenus, sed & in forma, naturali illa scil. puta connexione necessaria, semper vitium apparet, quemadmodum in exemplis infrà afferendis patebit.

§. II.

Ex fundamento nostro de naturali forma Syllogismi suprà posito patet jam. (I.) Quì fiat, ut *ex puris negativis nihil sequatur*. Repugnat enim naturæ normæ, ut, quia res duæ non convenient in illa norma, etiam necessariò inter se debeant disconvenire. Quid si enim in altera norma convenient? Adeoque normâ illâ adhibitâ saltem cum uno termino convenire, & de eo affirmari debet, ut si de altero dein affirmari nequeat, hæc inter se diversa esse appareat. *conf. S. II. n. II.* Unde fit, ut ad minimum una propositio debeat esse affirmans. Atqve huc etiam tendere videntur, quæ de hac re alii Philosophorum fusius attulere vid. *Arriagam. in Cursu Philos. Diss. III. in Summulas S. IV. n. 18. Keckermannum in System. Systematum, Systematis Log. L. III. c. V. n. 17. Derodonem in Oper. Philos. p. V. Log. c. II. Art. III. n. 15.* Hinc igitur apertum est, causam, cur ex puris negativis nihil sequatur, esse, quòd ratio cum majori & minori termino in præmissis, haud ita connexa fuerat, ut inde ad disjunctionem, vel negationem horum in conclusione rectè potuisset proce-

procedi. Unde semper inter conclusionem & medium terminum, seu rationem allatam ad probandum nulla hoc casu connexio est: v. g.

Impii non sunt salvandi,

Pii non sunt Impii,

E. Pii non sunt salvandi.

Nulla enim ratio est, nulla connexio hujus medii termini cum conclusione, quod pii non salvandi sint, quia impii non sunt. Adeoque duobus modis potest solvi hoc argumentum (1.) Ostendendo vitium formæ artificialis, quod ex puris negativis contra regulas artis Logicæ constet. Vel si illud non occurrat (2.) ostendendo vitium formæ naturalis, defectum connexionis inter conclusionem & medium terminum, ipsiusque medii termini connexionem cum subjecto & prædicato nullam esse, ad hoc in conclusione inferendum.

§. III.

Pari ex ratione deduci potest, cur, quod vulgò dicitur, conclusio semper sequatur partem debiliorem, ut scilicet si una præmissarum affirmans, altera negans sit, conclusio sit negativa, si una Universalis, altera particularis, conclusio etiam particularis existat. Atque hinc quidem initio notandum, cur negativa & particularis propositio debilior affirmativa & Universali vocetur. Scilicet quia affirmatio certi aliquid ponit & asserit, negatio contra mentem dubiam relinquit, dum per se nihil certi dicit: ut *homo est rationalis, homo non est lapis*. Particularis verò obin, quia dum Universalis omnia, particularis tantum quædam complectitur, de quibus loquitur subjectum. Ut: *Omnis homo est rationalis, Quidam homo est doctus.*

Ubi

Ubi rationalitas de omnibus subjectis, doctrina de quibusdam tantum dicitur. *conf. Bachm. Exercit. Philos. Centur. Sec. Quæst. XXIII.* Jam verò perfectius est, affirmando quid res sit certi quid de re asserere, quam dicendo quid res non sit, mentem circa naturam illius rei in incerto relinquere. Unde & affirmativa negativam, Universalis particulares propositiones sub se complectitur non contrà; *conf. Bachm. c. l.* Vulgò hanc quæstionem inde resolvunt, quia effectus non potest, esse nobilior sua causa, adeoque conclusio nobilior præmissa ignobiliori *conf. Keckerm. Syst. Syst. Log. Syst. L. III. c. V. n. II. Isendorn in Cursu Log. Syst. & Agonist. L. III. C. I. Q. I.* Nos pro more nostro ex natura Syllogismi superiùs tradita id nunc porò deducemus. Nam si terminus medius ceu norma in una propositione cum termino affirmante, in altero cum negante conjungitur, dum unum terminum in præmissis respondere, alterum non respondere sibi deprehendit, non potest aliter quam inferre, quod hi termini inter se non respondeant. Item si norma illa quædam Universaliter, seu quoad omnia subjecta, quædam Particulariter, seu quoad nonnulla tantum subjecta sibi convenire deprehendit, quæ potest aliter, quam indicare hæc inter se non quoad omnia, sed tantum quoad quædam subjecta convenire, aliàs & in illo quoad omnia subjecta convenissent. Quæ quoniam aperta satis videntur, adductis exemplis hæc illustrare superfedemus. Liqvet verò ex his, cur Conclusio in secunda figura tantum Negativa, in tertia tantum Particularis sit, scil. quia altera præmissarum in his figuris semper particularis vel negativa fuerat, quam cur necessariò sequi debeat conclusio hoc articulo exposuimus.

§. IV.

§. IV.

Ex eodem fonte resolvi potest, cur, quod vulgò ajunt, *ex puris particularibus nihil sequatur.* Quoties enim inde nihil sequitur, toties, ut *Idem Arriaga cit. loc. n. 19.* & ex *Melanchtone* affert *Keckermannus cit. loc. num. 6.* quatuor sunt termini. At si terminus particularis in majori & minori de eodem subjecto intelligantur, jam ex puris particularibus omninò procedet argumentatio v. gr. Non procedet

Quidam docti damnabuntur

Quidam pii fuerunt docti,

E. Quidam pii damnabuntur,

quia sunt quatuor termini, dum in majori non iidem docti intelliguntur, qui in minori, tum enim falsa est major. Aliàs procedit:

Quidam docti damnabuntur,

Quidam impii fuerunt docti,

E. Quidam impii damnabuntur.

Quia hic iidem docti in majore & minore intelliguntur. Idem in singularibus obtinet, Exempla vid. *ap Derod. c. 6.* ut & in omnibus fallaciis dictionum, in quibus quatuor esse terminos tam notum est, quàm quod notissimum. Illud igitur probandum restat, quod, & cur quatuor termini in eodem Syllogismo formam naturalem ejus hactenus traditam pervertant, quod quidem ex dictis etiam elici facillimè potest. Nam cum uterque terminus, major & minor, exigi & mensurari debeant secundum normam eandem sc. medium terminum, ut *S. II. n. 2.* probavimus. Ubi quatuor termini sunt contrà accidit. Nam sive major, sive minor, sive medius terminus duplici

C

sensu

sensu, aut cum adjectione & detractioe redeat, semper hæc naturalis Syllogismi forma læditur. Si enim major vel minor duplicem sensum habeat, alius terminus in majori, vel minori cum termino medio ceu norma comparatur, alius in conclusionem immittitur, qui ad normam istam exactus non est, adeoque ferè etiam alteri non respondet, v. gr. si dicam, quod exemplum est *Wendelini in Instit. Log. L. III. c. XXII. sub Tb. IX.*

Qui in fide moriuntur sunt Domini,

Rom. XIV, v. 8.

Omnes electi in fide moriuntur,

E. Omnes Electi sunt Domini, scil. in hoc

ob rem non in mundo. Nam vox *Domini* in majori, ubi ad normam medii termini, scil. *in fide mori* exigebatur, significat, illos ad Deum summum Dominum singulari ratione pertinere; ast in conclusione eminentiorem quendam honoris gradum in terris dicit: adeoque non potest hoc prædicatum in conclusione subjecto suo convenire, quia ad normam illam sub eo sensu exactum non fuerat, & medius terminus in majori connexus fuerat cum diverso planè termino quoad sensum, quàm cum quo subjectum in Conclusionem connectitur; cùm hæc connexio inter eosdem terminos intercedere debuisset, si ex identificatione duorum extremorum in aliquo tertio, ad identificationem horum inter se velimus argumentari. conf. §. 4. S. II. Si verò medius terminus alio alioq; sensu intelligatur, iterum res clara est. Ita enim major terminus ad aliam, & minor iterum ad aliam exigeretur normam, unde cùm non in eodem, sed diverso tertio convenerint, mirum non

non

non est, si nec inter se conveniant. Liceat ex eodem
Wendelino cit. loc. aliud exemplum adducere, v. gr.

Feritas est inimica societati humanae,

Quaedam virtus est veritas,

E. Quaedam virtus est inimica societati hu-

manae.

Hic major terminus, scil. inimicum esse societati huma-
nae comparatus est cum voce feritas per f, quæ vox vitium
dicit, ubi homo vagis & asperis est moribus, ferarum in-
star, minor terminus scil. Virtus, cum voce Veritas per v,
quæ virtutem dicit. Cum igitur quilibet terminus ad di-
versam normam in præmissis exactus sit, qui possunt illi
ex vi hujus comparationis inter se invicem correspon-
dere. Neque enim connexio ulla in præmissis inter hos
terminos fuerat in aliquo tertio, quomodo igitur jam
in conclusione, & quidem ex eo capite convenire possunt.
Atque hæc eadem ratio Syllogismis ex puris particulari-
bus diversi generis, & ex singularibus diversis constanti-
bus, ut & omnibus fallaciis dictionum, ut *Etymologia*, *Pro-
sodia*, *ὁμωνυμίας*, *ἀμφιβολίας*, *phraseas malè intellectæ*, *com-
positionis* & *divisionis* applicari possunt, quod si cui libue-
rit, consulat, vel notissima Logices compendia, *Wende-
linum in Institut. Log. loc. cit.*, *Scharsum in manuali Log.
L. III. c. I. Brunnem. in Encbrid. L. III. Membr. II. c. III.* &
allata ab iis exempla ad hanc normam excutiat.

§. V.
Ufus allatæ à nobis doctrinæ est, ut si minùs succur-
rat, quæ dictionis fallaciæ adversarii argumentum laboret,
vel ex modestia id dissimulare malimus, ostendere ei solùm
possimus, quatuor adesse terminos, & si rationem hujus ca-

nonis requirat, poterit hinc ostendi, vel majorem, vel minorem terminum, si medius terminus diversus sit, in præmissis cum alia atque alia norma comparari, atque ita conclusionem non posse exinde convenire inter se, quia in tertio diverso comparata fuerant. Vel si major aut minor terminus variet, in conclusione alia inter se conjungi, quàm quæ in præmissis inter se conjuncta fuerant: adeoque à diversorum conjunctione in uno tertio, ad aliorum conjunctionem inter se consequentiam non valere *conf. §. præc.* Et est quidem verissimum de Sophismatibus fallaciisq; dictionum, prout vulgò in scholis traduntur, quæ acutissimè de iis, ut solet, protulit *Sen. Epist. XLVIII.* cum inquit: *Tu mihi verba distorques & syllabas digeris. Scilicet, nisi interrogationes vaferrimas struxero, & conclusione falsa à vero nascens mendacium adstrinxero, non potero à fugiendis petenda secernere. Pudet me, in re tam seria senes ludimus, Mus syllaba est, Mus autem caseum rodit, Syllaba ergo caseum rodit. Puta nunc me istud non posse solvere, quod mihi ex ista sententia periculum & quod incommodum? Sine dubio verendum est, ne quando in muscipula syllabas capiam, aut ne quando, si negligentior fuero, caseum liber comedat. Nisi fortè acutior est illa collectio. Mus syllabam non rodit, Syllaba autem caseum non rodit, Mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias! In hoc supercilia subduximus, in hoc barbam demissimus, hoc est quod tristes docemus & pallidi? Vis scire quid Philosophia promittat generi humano? Consilium. Idem *Epist. XLV.* in eas sic ludit. *Qui interrogatur an cornua habeat, non est tam stultus, ut frontem suam tentet, nec rursus tam ineptus aut hebes, ut non habere se nesciat, quod tu illi subtilissima col-**

lectio

lectio

lectione persuaseris. Sic ista sine noxa decipiunt, quomodo prestigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat. Effice ut quomodo fiat intelligam, perdidit usum. Idem de istis captionibus dico: quo enim nomine potius sophismata appellem? nec ignorantibus nocent, nec scientem juvant. Verum sicut hæc de Sophismatibus, si vel nimium in his inculcandis tempus consumatur, vel ex ipsa illorum resolutione gloriola quædam captetur (quod apud Græcos præsertim fieri consuevit, historiarum monumenta abundè testantur) negari non potest, ita doctrinæ & resolutioni Sophismatum in universum applicari non debent. Cum ambiguitati & amphiboliæ in oraculis, sponsonibus, testamentis & ejus generis aliis superstructa argumenta & rationes, maximum sæpe vel totis regnis & Rebusp. damnum dederint & malum, ut in Croesi & aliorum exemplis liquidò patet. Interim, si quis vel ætate vel exercitio destitutus sit, ipsiq; termini illi haud succurrant, vel ad Scholastica illa demittere se noluerit, allatam ambiguitatem, eadem dexteritate, indicata ratione, quæ naturalis Syllogismi forma læsa fuit, expedire facillimè potest.

§. VI.

Tandem accedimus ad fallacias rerum ex eodem capite resolvendas, ubi melioris ordinis causa & brevitatis studio Scharfium in Manuali Log. L. III. Log. Spec. c. II. & adducta ab eo exempla sequi nobis lubuit. Hic primam adducit fallaciam Accidentis. Quando ex his, quæ per accidens insunt subdole aliquid colligitur v.gr. (ut ea plena adducamus, quæ enthymematicè ille construxerat.)

Quod-

Quodcunque inebriat est malum

Vinum inebriat

E. Vinum est malum.

Cum enim juxta terminum medium in propositione minori addendus fuisset modus, quo id faciat, scil. *per accidens*, ille si in majori etiam addatur, falsa est major, patetque normam hanc huic termino non quadrare? Illud verò addi deberi in minore, si id inde colligere velis, ex natura subjectæ materiæ patet, cum constet, Vinum non nisi per accidens, scil. immodicè sumtum inebriare. Secundo loco producit *fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, quando id quod saltem secundum quid verum est, accipitur simpliciter, v. gr.

Quicumque est bonus Poëta ille est bonus

Ovidius est bonus Poëta

E. Ovidius est bonus scil. absolutè, bonitate morali.

Sed cum hic quatuor termini sint, ejus explicatione supersedemus & lectorem ad *præced.* §. remittimus. Si verò bonus in majori eodem sensu capiatur jam falsitas majoris comparet.

Idem in *Ignoracione Elenchi* patet, nam si de eadem re, parte &c. intelligas, idque adjungas, jam procedet argumentatio, si de diversis, jam quatuor exsurgent termini, aut falsitas in aliqua præmissarum se prodet, v. gr.

Quicumque est mortalis, non est immortalis,

Atqui Homo est mortalis,

E. Homo non est immortalis.

Si enim in minori addas *secundum corpus* falsa minor est, si verò illud intelligas in conclusione & in minori prætermisc-

miseris, quatuor erunt termini. In Circulo, ubi probatio
redit in orbem & non terminatur in aliquod primum per
se notum, itidem in forma naturali Syllogismi laboratur.
Assumitur enim aliquid pro norma, seu medio termino,
quod pro norma alter non agnoscit, & ad quam terminos
illos exigi non vult, sed illud æquè dubium reputat ac con-
clusionem suam, unde licet extrema cum tali norma con-
venire deprehendat, inde haud certus redditur illa inter
se convenire: ut si dicas,

Quodcunque non habet initium illud est æter-
num,

Atqui mundus non habet initium,

E. Mundus est æternus.

Neque enim ille tantum negat atque in dubium vocat,
quod mundus sit æternus, sed & illud, quod ad hoc pro-
bandum alter assumserat, sc. mundum initium non habere
*Fallaciam consequentis, & fallaciam secundum non causam
ut causam transimus*, quia cuius attendenti vel primo in-
tuitu liquere potest, in his ipsum illud, connexionem scil.
mutuamque partium unionem, in qua Formam Syllo-
gismi Naturalem collocavimus, desiderari. *Fallacia plu-
rium interrogationum*, quia in Syllogismis, præsertim per-
fectis usu venire vix solet, hujus loci non est. Atque hic
pedem figimus, nosque Tibi, Lector Benevole, commen-
damus, meliora promittentes, ubi rerum nostrarum
ratio id permiserit. Interim hæc æqui bonique consule
& fave.

DEO SOLI SIT GLORIA.



[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through. The text is mostly illegible due to fading and mirror-imaging.]

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including the phrase 'E. Mundus est aerarius' and other illegible lines.]

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]

Fa 1957.4

ULB Halle
007 378 238

3



Sh


VD17


Rehe











LOGICA,
MA
RALI
GISMI,
mls,
 Numinis Gratiâ,
issu
 tatis Philosophica,
 a Viadrina,
 OSOPHICO MAJORI,
visioni submittit
W ESENFELD,
 ENSIS,
 E MAGISTER,
 DENTE
STOPH. STANNIO,
 Anhaltinô,
 ILOPH. STUDIOSO,
r. An. MDCXCI.
 ☼ ☽ ☿ ♀ ♁ ♂ ♃ ♄ ♅ ♆ ♇ ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓
 d Viadrum,
 EPSELII, Acad. Typogr.

